

N. 24. 78 L 1637 [50]

IOANNIS MICHAELIS GASSERI

GYMNASII HALL. RECTORIS

PROGRAMMA

DE

ARTIBVS MVTIS

AD

ILLVSTRANDVM VIRGILII LOCVM

AEN. XII 397

QVO

NATALEM GYMNASII  
CLXXXVI

CELEBRANDVM

INDICIT.

---

HALLAE MAGDEBVRGICAE  
TYPIS CHRISTOPHORI PETRI FRANCKII, ACAD. TYPOGR.  
c1o 1o ccli.

81

X 304 7781





IOHANNES MICHAELIS GASSNER

ORDINARIUS PASTORIS

PROGRAMMA

DE

ARTIBVS MATHEMATICIS

AD

HEINRICH-ROTHENBERGER



ANNO 1871

Kapsel 78 L 1637 [50]

NATURALIEN KUNST

CLXXXVI

CELEBRANDUM

IN

CHRISTOPH WILHELM FRANKL







Q. B. V.



§. I.

**S** I, V T quæque olim artes vel honoratæ vel contentæ fuerunt, ita eædem vel gloriosæ etiamnum, vel ignobiles putarentur: non magis nunc celebrarentur medicorum ac philosophorum scholæ, quam obmutuerunt hodie studia humanitatis. Idque non artium vitio, sed mutato studio cultorum accidit. **MEDICINA** quid melius, quid præstabilius, quid salutarius generi mortalium dari a deo potuit? At eam tamen ipsam poetarum princeps, et æquissimus alioquin rerum æstimator, **VIRGILIUS**, *artium mutarum* nomine adpellat. Quam ut ignominiam a præstantissima scientia depellerent, viri multi eruditissime docti operam dederunt. Sed, meo quidem iudicio, non est metuendum, ne quid inde labis clarissimæ arti inferatur: quippe quæ iam

*Tantum alias inter caput extulit artes,*

*Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

Itaque nec mihi medicorum invidia pertimescenda est, quos summo semper honore colui ac veneratus sum. Tantum enim absunt a contumelia: quan-



tum ars abest ipsa a præcoram more fanandi. Quæ quum ita se habeant: ad artes VIRGILII mutas iam confidenter progredimur; visuri, quibus rationibus inductus, et quam iuste poeta medicinam Iapygis artium mutarum nomine insignierit. Audiamus MARONEM ipsum.

*Iamque aderat, inquit, Phœbo ante alios dilectus Iapyx  
Iasides: acri quondam cui captus amore  
Ipse suas artes, sua munera, letus Apollo  
Augurium, citharamque dabat, celeresque sagittas.  
Ille, ut depositi profert et fata parentis,  
Scire potestates herbarum, usumque medendi  
Maluit, et MUTAS agitare inglorius ARTES a).*

Describitur hic 1) medicus, 2) artes, a) tam ab Apolline oblatae, quam β) ab medico acceptae atque exercitæ.

## §. II.

MEDICVM poeta commendat 1) a nomine, 2) a patre, 3) ab amore Apollinis erga ipsum, 4) a pietate in patrem, 5) ab reuerentia erga deum, 6) ab ætate.

I Iapyx vocatur Aenææ medicus, quod vetustissimorum optimorumque codicum consensu probatur b). Castigandus igitur est AVSONIVS c):

*Idmona quod vatem, medicum quod Iapyga dicunt,  
Discendas artes nomina præueniunt.*

Quoquo autem modo legas, aptum est medico nomen. Nam ἰατρῆς Græci dicunt curare, vnde ἰατρὸς dicitur medicus, adnotante SERVIO d). II laudatur etiam a patre, siue Iaso, siue Iasio, regia de flirpe prognato: vnde Iasides adpellatus est. Quod nomen quum originem græcam manifestius prodat, quam Iapygis: vero simile est, ipsum Iasum inter medicos olim egregios locum habuisse.

Sed nimirum ista sunt fortuita: sola virtus et propria est, et quavis nobilitate clarior. Quamque III omnium virtutum fundamentum fit pietas: tanto hæc

a) Aeneid. XII 391-397.

b) Vid. Virgil. P. BURMANNI h. I.

c) Epigramm XX. 7. edit. Toll.

d) Conf. EL. VINETI adnotat. in Auson. p. m. 209 sq.



hæc magis in Iapyge eminet, quanto acrius eum Phœbus amavit, et quanto illi plura et maiora dona obtulit, et quidem lætus. Deinde IIII illius *erga deum reverentia* ex eo quoque elucet, quod de felici curationis euentu nihil quidquam suis viribus, sed omnia deo immortalī tribuit.

*Non hæc humanis, exclamat, opibus, non arte magistra  
Proueniunt, neque te, Aenea, mea dextera seruat:  
Maior agit deus, atque opera ad maiora remittit e).*

V Non minor in patrem iam senem, et morbo desperato laborantem insignis pietate Iapyx designatur.

*Ille enim, ut depositi proferret fata parentis,  
Scire potestates herbarum, usumque medendi  
Maluit, et mutas agitare inglorius artes.*

Quippe vnam medicinam de quattuor rebus, ab Apolline oblati, delegit, ceteris ad gloriam comparandam aptioribus posthabitis, ob id tantum, vt vitam carissimo patri proferre posset. Adeo diligens est in laudando sollertissimo medico VIRGILIUS, vt VI etiam *etatis* mentionem iniiciat. Vocat enim *seniorem* t), et *longæuum* g): sine dubio, quia

*seris venit usus ab annis h), et*

vt præclare EURIPIDES in *Phœnissis*:

*ὦ τέκνον, ἔχ' ἅπαντα τῶ γῆρα κακὰ,  
Ἐτέουλεες, πρόσθεν. ἀλλ' ἡ μπειρία  
ἔχει τὶ λείζει τῶν νεῶν σοφώτερον ἰ).*

§. III.

I AM quod attinet ad ARTES ipsas, quas Iapygi Apollo dabat, ille non accipiebat, nōminatim vocat MARO augurium, citharam, celeresque sagittas.

*Augurium, citharamque dabat, celeresque sagittas.*

His enim artibus præerat Phœbus, ab Ioue acceptis. Iuppiter enim, vt ab *augurio* incipiam, fatorum libros tenere, atque ex iis, quæ lubitum esset, diis aliis quibusdam, dæmonibusque indicare credebatur.

A 3

Ταῦτα

- e) v. 427 sqq.
- f) v. 401.
- g) v. 420.
- h) OVID. *Metam.* L. VI. 29.
- i) v. 530 sqq.





Ταῦτα γὰρ πατήρ  
 Ζεὺς ἔγκαθ' αἰ Λόγιος θεσπίσματα k).

Hincrerum omnium scientiam Apollini perspicue Chiron tribuit apud PINDARVM:

Ω ἄνα, κύρι-  
 ον ὅς πάντων τέλος  
 εἶδα, καὶ πάσας κελύθεις,  
 ὅσα τε χθρῶν ἤρινά Φυλ-  
 λ' ἀναπέμπει, χ' ἀπόσαι  
 ἐν θαλάσσοι καὶ ποταμοῖς ψάμματα  
 κύμασι, ζῆταῖς τ' ἀνέμων κλονέονται.  
 χ' ὦ, τι μέλλει, χ' ὦ, τι πόθεν  
 ἔσσεται, εὐ καθοράς l).

Et ipse de se apud OVIDIVM m):

Per me, quod eritque, fuitque,  
 Etque, patet.

Hanc futurorum praesensionem MARO *augurium* vocat: vnde Apollo etiam *augur* dicitur n).

Altera ars, quae Iapygi ab Apolline oblata esse dicitur, est *musica*. *Citharam* enim dabat, cuius inuentorem fuisse ipsum, praeter alios PAVSANIAS testatur: Ἀπόλλωνα εὐρετὴν εἶναι κιθάρας, Ἑλλάνων ἐστὶ λόγος o). Hanc ab diis immortalibus Apollinem sibi expetisse, HOMERVS auctor est p). Proinde gloriatur apud OVIDIVM:

Per me concordant carmina nervis q).

Praeter ea dabat etiam Apollo Iapygi *celeres sagittas*: nam et sagittandi artem inuenisse deus ille putabatur, iccirco a poetis ἀργυρότεζες adpellatus. Certe sagittas illi in optatis fuisse, HOMERVS indicat r). His etiam post ea maximum

k) AESCHYL. in *fragm. sacerdot.* Conf. LAKEMACHERI *antiquit. graec. sacr.* p. 514 sq. et HOMER. *hymn. Apoll.* v. 132.

l) Pind. *od. VIII.* p. 301 *edit. Strepb.*

m) *Metam.* L. I. § 17. 518.

n) VIRGIL. *Aen.* III. 376. HORAT. *carm.* L. I. *od.* II. v. 30 sqq.

o) *Eliacorum* L. I. p. m. 162. 107

p) *Hymn. in Apoll.* v. 131.

q) *Metam.* L. I. 518.

r) l. c.



num Pythone[m], his Niobes filios interemit s). Certa quippe erat eius sagitta t), quo modo se magnifice iaculat et ostentat.

## §. III.

VIDEAMVS iam, quantum hæc artes olim valuerint ad gloriam. Itaque *augurium* eo maiori apud veteres in dignatione fuit, quo certius illud diuinitatis et munus et indicium esse existimabatur. Iceirco, quibus futura prædicere diuino munere datum erat, ἐνθεοί, ἐνθεστώοντες, θεοφρονητοί, θεοφροσύμενοι, et θεόληπτοί vocabantur: quod diuino spiritu adflatuque agitari credebantur u). *Quis enim non videt*, CICERONEM audimus, *in optima quaque re publica plurimum auspicia, et reliqua diuinandi genera valuisse? Quis rex vquam fuit, quis populus, qui non vteretur prædictione diuina? neque solum in pace, sed in bello multo etiam magis: quo maius erat certamen, et discrimen salutis.* Hinc et Athenienses omnibus semper publicis consiliis diuinos quosdam sacerdotes, quos μάγνεις vocant, adhibuerunt: et Lacedæmonii regibus suis augurem adseorsorem dederunt; itemque senibus (sic enim consilium publicum adpellant) augurem interesse voluerunt: iidemque de rebus maioribus semper aut Delphis oraculum, aut ab Hammone, aut a Dodona petebant. Lycurgus quidem, qui Lacedæmoniorum rem publicam temperauit, leges suas auctoritate Apollinis Delphici confirmauit: quas quum vellet Lysander commutare, eadem est prohibitus religione x). Summam igitur gloriam conciliabat diuinandi scientia: id quod etiam Tiresiæ auguris exemplo constat: de quo OVIDIUS:

*Ille per Aonias, fama celeberrimus, vrbes  
Irreprehensa dabat populo responsa petenti.  
Cognita res meritam vati per Achaidas vrbes  
Attulerat famam: nomenque erat auguris ingens y).*

## §. V.

IAM quanta in gloria scientia musica fuerit: præclara veterum de ea iudicia ac testimonia comprobant. Hæc diis immortalibus, hæc regibus, hæc omni-

s) OVID. *Met.* L. I. fab. VIII et L. VI. fab. III.

t) OVID. *Met.* L. I. § 19.

u) V. SPANHEM. *obseru. ad Callim. hymn. in Delum* v. 89.

x) CIC. *de diuin.* L. I. c. xxxiii. conf. de oraculo Apoll. Delph. L. I. c. xviii. et JUSTIN. I. xxiii. c. VI.

y) *Met.* L. III. 339 sq. 311 sq.



omnibus fere gentibus ac nationibus semper in deliciis fuit. Ergo et in sacrificiis cultuque deorum, et temperandis rebus publicis, et bellis etiam præliisque adhibitam fuisse nouimus z). Nihil iam de Tyrtæi numeris, quibus Spartanos; nihil de Telesillæ modis, quibus Argiuos; nihil de Alcæi cantu, quo Lesbios excitauit, neque de Orpheo et Amphione dicam, qui siluas, animosque ferarum, et saxa perhibentur traxisse: sed illud prætereundum non est, *Lacedæmoniorum*, teste PAVSANIA, non ad tubæ cantum, sed ad tibiæ modum et citaræ pulsus in prælia exisse a). Quod QVINCTILIANVS non confirmat modo, sed simul in laudem artis pulcherrimæ in vniuersum excurrit. *Quid de philosophis*, inquit, loquor, quorum fons, ipse Socrates, iam senex, institui lyra non erubescere? Duces maximos et fidibus et tibiis cecinisse traditum, et exercitus Lacedæmoniorum muscis accensus modis. *Quid autem aliud in nostris legionibus cornua ac tubæ faciunt? Quorum concentus quanto est vehementior, tanto romana in bellis gloria ceteris præstat.* Non igitur frustra Plato ciuili viro, quem ποταμῶν vocant, necessariam musicen credidit. Et nonnullis interiectis: *Summam eruditionem Græci sitam censebant in neruorum vocumque cantibus. Igitur et Epaminondas, princeps, meo iudicio, Græciæ fidibus præclare cecinisse dicitur: Themistoclesque aliquot ante annos, quum in epulis recusaret lyram, habitus est indoctior. Ergo in Græciâ musici floruerunt, discabantque id omnes, nec, qui nesciebat, satis excultus doctrina putabatur b).*

## §. VI.

NON MINVS sagittandi ars apta fuit ad gloriam. Vsus scilicet sagittarum erat in venatione et bello. Vtrique operam dabant viri principes: illi, vt bellicæ disciplinæ adsuescerent; huic, vt quam plurimis imperitando nominis famam cum omni posteritate adæquarent. Vt enim fabulas omittam, in quibus Hercules leonem Nemæum, Meleager aprum Caledonium, magno agricolarum emolumento confecisse dicitur; vt priscos alios heroes, Vlysem, Achillem, præteream; vt celeberrimas gentes taceam, quæ venationibus acure virtutem bellicam folebant c): Romanorum tantum exemplis ostendam, quantum laudem feris agitantis venati sint. PLINIVS certe TRAIANVM suum

z) V. EVERH. FEITHII *antiquit. Homeric.* L. III. c. III.

a) In *Laconicis* p. m. 99. 24.

b) QVINCTIL. L. I. *Inst. or.* c. X n. 13 sqq. c. c. *Tusc. quæst.* L. I. c. II.

c) V. FEITHII *antiquit. Homeric.* L. III. c. II. cf. M. ELIÆ STOEBERI *animaduers. in Feirb.* p. 68.



tuum commendaturus, venandi studium in laudibus eius vel maxime ponit. *Quæ enim remissio tibi, inquit, nisi lustrare saltus, excutere cubilibus feras, superare immensa montium iuga, et horrentibus scopulis gradum inferre, nullius manu, nullius vestigio, adiutum? Olim hæc experientia iuuentutis, hæc voluptas erat; his artibus futuri duces imbuebantur: certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis artu; nec mediocre pacis decus habebatur, submota campis irruptio ferarum, et obsidione quadam liberatus agrestium labor. Vfsurpabant gloriam istam (sc. venationis) illi quoque principes, qui obire non poterant, cet. d).* Hinc est, quod venationem vocet **HORATIVS**

*Romanis sollemne viris opus, vile fama,  
Vitæque, et membris, præsertim quum valeas, et  
Vel cursu superare cauem, vel viribus aprum  
Possis: adde, virilia quod speciosius arma  
Non est, qui tractet e).*

Tanta gloria in simulacro et imagine belli: quanto maior in ipso bello enituit? Hac enim in re ipsum Iovem tonantem sibi imitari principes videntur.

Ex his igitur, quæ diximus, perspicuum est, artes Apollineas, *augurium, citharam, sagittasque* longe omnium nobilissimas fuisse.

## §. VII.

PRAETER has tamen *medicinam* quoque, artem humano generi maxime salutarem, inuenisse se, Phœbus gloriatur. Magnifice enim

*Inuentum, inquit, medicina meum est, opiferaque per orbem  
Dicor, et herbarum subiecta potentia nobis f).*

Ob id *Medicus* dictus, eique ædes eo nomine a M. Fulvio dicata est g). Itaque cum ipse sanauit aliquos, vt Hectorem h); idemque Creusæ, in partu laboranti, succurrit, effecitque, vt sine dolore pareret i): tum aliis quoque artem

B  
medi-

d) *Panegy.* c. LXXXI. p. 403 sqq. ex edit. Schwarzii.

e) *L. I. ep.* XVIII. 49 sqq.

f) *OID.* *Met.* L. I. § 21 sq. Vide ibi *BERMANNVM*, alia quoque testimonia adferentem

g) *LIV.* L. XXXX. c. LI.

h) *HOMER.* *Iliad.* XV. 60.

i) *EVRIPID.* *Ion.* v. 1596.



medicam exercere permisit; inter quos et Iapyx Maronianus. Huic quippe  
acri captus amore

*Ipse suas artes, sua munera, letus Apollo  
Augurium, citharamque dabat, celeresque sagittas.*

Sed

*Ille, ut depositi proferret fata parentis,  
Scire potestates herbarum, vsumque medendi  
Maluit, et mutas agitare inglorius artes.*

Tanta in Iapyge patris erat caritas, ut, dum fata eius, quamvis fenis ac desperati, proferret, *augurium*, diuinitatis argumentum, *artem musicam*, diis hominibusque gratissimam, et *sagittandi peritiam*, certissimum gloriæ instrumentum, *scientiæ medicæ* postponeret. Cur autem *ARTIVM MUTARVM* nomine medicinam adpellat VIRGILIUS? Cur ob earundem vsum Iapyga vocat *inglorium*? Hic aqua hæret eruditus, ideoque in diuersas abeunt sententias, quarum indicem copiosum dat D. DAN. VINCKIUS, in *amenitatibus philologico-mediciis* k). Quoniam vero librum istum inspicere non licuerit: sufficiat nobis, vnius alteriusue interpretationem, ea, qua fieri potest, breuitate, adduxisse. *SERVIVS mutas artes* dici putat musicæ comparatione: „licet alii, *mutas artes*, tactum venæ velint: alii *mutas artes*, quia apud veteres manibus magis „*medicina tractata est*: vnde et *chirurgia dicta*: nam ipse ait: *multa manu „medica, Phæbique potentibus herbis*. Ergo *mutas*: quia, ubi manures agebatur, cessabat oratio. *Vsumque medendi*. *Εμπειρικὴν* scientiam, hoc est, *medicinam*, in vsu, non in ratione constantem: nam quædam artes vsu discuntur; sicut ipsa maxima parte *medicina*, quæ ante Hippocratem *muta fuit*. *Inglorius*. Comparatione sagittarum, et harmoniæ, id est, musicæ et diuinitatis. Hactenus *SERVIVS*.

PETRVS BYRMANNVS in sua VIRGILII editione hæc habet. „*Mutas artes* omnes dici, quæ non sunt musicæ, nec canoræ, in quibus nullus eloquentiæ locus; ostendit GRONOVIVS ad STAT. IV. Theb. 183. Sic *mutam scientiam* vocat QVINCTIL. V. *de inst. orat.* c. X. p. 433. MEIBOMIVS ad *iusiur.* Hippocratis c. XIX. respexisse poetam credit, ad obligationem filentii, qua medici religiose adstringuntur; ex illius vero sententia hausisse suam videtur IOAN. HEN. SCHVLTZE, qui ex Aegyptiorum Græcorumque mysteriis

k) p. 453.



„terius repetisse putat, et in templis Serapicis et Asclepicis (vt loquitur) ideo Harpocrates et Telesphoros, digito labiis impresso, silentii medicos admonuisse, etc. „vt didici ex *Actis Academicis Lips.* 1733 editis, Tom. I. Sect. II. p. 40. Si ipsa „dissertatio ad manum esset, de ea iudicium ferre liceret. Vid. et *Act. Lips.* „1740 p. 47. „

Mirari subit, BURMANNI Musam in b. SCHVLZIO commemorando vsque adeo mutam fuisse, in SCHVLZIO, inquam, de cuius doctrina atque eruditione incredibili nulla vniquam ætas conticescet. Deinde videtur in eo notare voces, *in templis Serapicis et Asclepicis*: quia addit, *vt loquitur*. Si autem vel maxime b. SCHVLZIVS ita scripsisset: censore tamen isto haud quaquam egeret. At his vsus est verbis b. SCHVLZIVS: *Ad hos siue Harpocrates, siue Telesphoros, in omnibus Serapicis et Asclepicis conspicuos silentii præceptores, in primis respexisse VIRGILIVM, quando medicinam ARTIS MVTE elogio notat, omnino persuasum habeo l).* Tantum mihi non fumo, vt quidquam gloriæ b. SCHVLZII manibus detrahere, aut me vilo modo cum tanto literarum heroe confetre cupiam, qui meo me modulo satis metiri didici: sed, quæ erat Viri, dum viueret, humanitas, vti modeste dissentientes facile tulit; ita nec grauantur, spero, cineres eius, si dixerò, de sententia eius mihi non liquere.

#### §. VIII.

TAUBMANNVS inter alias, quas laudat, sententias, hanc etiam adfert, medicinam vocari mutam artem, *quod ars ignobilis fuerit ac parum celebris, atque a seruis fere tractata m).* In qua explicatione, quæ etiam Cl. ERNESTI adridet n), nos quoque acquiescimus.

Namque artes mutæ Iapygis primo artibus et muneribus illis, quibus maxima inest gloria, opponuntur. Quid enim augurio diuinius, quid *ciuhara* et harmonia musica admirabilius et illustrius, quid denique *sagittis* et arte militari gloriosius est? Maximum, CICERO ait, et præstantissimum in re publica ius est augurum, et cum auctoritate coniunctum. Neque vero hoc, quia sum ipse augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos, est necesse. Quid enim maius est, si de iure querimus, quam posse a summis imperiis, et summis potestatibus comitiatus et concilia, vel  
B 2 instri-

l) In programm. de artibus musis ad illustrandum VIRGILIVM Aen. XII. v. 397.

AO. MDCCXXXII Hallæ edito.

m) Comment. in VIRGIL. h. l.

n) Clau. Cic. V. murus.



*instituta dimittere, vel habita rescindere? Quid grauius, quam rem susceptam dirimi, si vnus augur ALIO DIE dixerit? Quid magnificentius, quam posse discernere, vt magistratu se abdicent consules? Quid religiosius, quam cum populo, cum plebe agendi ius aut dare, aut non dare? Quid? legem, si non iure rogata est, tollere? cet. o). Murices vero studio quid excellentius? Qua non deorum modo immortalium laudes, sed clarissimorum etiam virorum facta illustria cantantur, atque æternitati consecrantur. Quid honestius, quam maximorum principum concilio, Herculis, Achillis, Eëtionis, Chironis, aliorumque interesse? Quid iucundius, quam canendis aliorum laudibus æternum simul ingenii sui præconium facere? Pari enim gloria sunt, et qui laudant, et qui laudantur. Profecto nisi Ilias illa, nisi Aeneis exstisset: nec, quorum virtus prædicata est, heroes, nec vates, qui prædicarunt, immortalitatem essent consecuti. Postremo exercitus ducere, aciem instruere, hostem ferire, triumphos agere, et quam plurimas gentes ac nationes bello subigere: ea quidem res inter deos hominesque pulcherrima esse videtur. Iam vero quid horum simile a medicina Iapygis sperari poterat?*

## §. VIII.

DEINDE Iapyx empiricus fuit: empirice autem ignobilis et muta. SERVIUS certe medendi vsum explicat per *ἐμπειρικὴν* scientiam, hoc est, medicinam, in vso non in ratione constantem. Nam quædam artes, SERVIUS pergit, vni discuntur; sicut ipsa maxima parte medicina, que ante Hippocratem muta fuit. Mos enim fuit antiquitus, liberatos morbis scribere in templo Aesculapii, quid auxiliatum esset, vt post ea similitudo proficeret p). Quid? Gentibus ad orientem sitis ad vnam fere omnibus, Babylonis, Assyriis, Aegyptiis, in more fuit, vt ægros, vel in foro, vel ante fores, in viis publicis exponerent: quo facto nemini fas erat, eiusmodi ægrum ἐν νεύσεισθαιω elatum et depositum præterire, priusquam percunctatus esset, quo quisque morbi genere laboraret, et, si quid vel ipse in simili morbo salubre expertus esset, aliumue sanans comperisset, illud cum ægroto communicasset q). Ideo Rhamnum laurique ramos pro foribus suspendere

o) De LL. L. II. c. XII.

p) PLIN. Nat. hist. L. XXVIII. c. 1.

q) HERODOT. L. I. c. CLXXXVII. FLVTARCH. in libello, an recte dictum sit, laenter esse viuendum: MAX. TYRIVS in dissert. περί τῆς ἐπισημίας, edit. Dauiß p. 417. SVETON. Tiber. c. XI. Conf. DE LA CERDA ad Virgil. Aen. XI. 395.



dere solebant veteres, quando vitam grauiori morbo decumbentis, et ad ædium suarum ianuam deponendi, desperabant r).

## §. X.

PORRO quod Iapyga *inglorium* nominat poeta, indicio est, artes, quas Iap-  
pyx agitauit, obscuras, et saltem comparatione augurii, harmoniæ musicæ, et sa-  
gittarum, exiguo in honore fuisse. Sane, PLINIO si credendum est, inhono-  
rata diu apud Romanos medicina fuit. *Populus enim romanus, neque ipse in ac-  
cipiendis artibus lentus, medicinæ vero etiam auidus, expertam damnauit s).* IDEM  
AUCTOR mox addit: *Solam hanc artium græcarum nondum exercet romana  
grauitas, in tanto fructu, paucissimi Quiritium attigere, et ipsi statim ad Græ-  
cos transfuga. Immo vero auctoritas aliter, quam græce eam tractantibus, etiam  
apud imperitos expertesque linguæ non est.* Accedit, quod artem medicam olim  
fere serui Romæ factitarunt: & si liberos etiam medicos tam ante Cæsares, quam  
sub Cæsariibus, in ea vrbe floruisse, infitias ire nolim t). Itaque ad seruilem ple-  
rorumque medicorum conditionem respiciens VIRGILIUS, medicinam *artem  
mutam* vocat, hoc est, contentam, ignobilem, ingloriam. Adde, quod manum  
Iapyx Aeneæ vulnere medendo adhibuit; quod chirurgorum est: quam antiquis-  
simam medicinæ partem fuisse, constat inter omnes. Recte igitur medico suo  
*chirurgiam* concedit MARO:

*Multa manu medica, Phæbique potentibus herbis,  
Nequicquam trepidat, nequicquam spicula dextra  
Solllicitat, preuatque tenaci forcipe ferrum u).*

Nulla hic materia honoris, nulla seges gloriæ. Circumspectis igitur his rationi-  
bus omnibus, manifestum est, *medicinam Iapygis*, habito ad ceteras Phæbi artes,  
et ex more romano, a poeta *mutam*, hoc est, ignobilem minusque gloriosam  
vocari.

- r) DIOG. LAERT. L. III. c. VII. n. X. p. m. 447. STAT. l. V. *Silu*, 163. IVV-  
NAL *Sar.* XII. 91.  
s) PLIN. *Nat. hist.* l. c.  
t) Vid. *comment. de la CERDA in Virgil*, h. l. & HEINECC. *antiquit. rom.* ad  
instit. L I Tit. XXV. p. m. 227.  
u) l. c. v. 402 sqq.



A T Q V E hoc sensu ab optimis latinitatis auctoribus *mutum* quidpiam dici, iam superest, vt ostendam. Neque enim *muta* solum adpellantur, quæ nullam vocem emittunt, vt *mutus canis*, qui feram indagat sine latratu x); *muta species pavonis*, quæ sono vincitur; *saxa tacentia*, quæ voci non respondent; *laurus tacens*, quæ non clare crepat; *mutæ artes*, in quibus nullus vocis vsus, quæ, quum non loquantur, res tamen ipsas exprimunt, et sic adspectum potius, quam auditum delectant, vt sunt pictoria, statuarum, et similes y); *muta scientia*, quæ ad eloquentiam non prodest z); *muta exta*, quæ non enuntiant deorum voluntatem, quibus fibra locuta opponitur, quæ aliquid signis indicat aa): sed obscura etiam, et ignobilia *muta* dici solent. Sic de populo romano, desidia corrupto, pronuntiauit Iuppiter apud SILIVM bb):

*Genis ferri patiens, ac leta domare labores  
Paullatim antiquo patrum desuescit honori.  
Atque ille haud vniquam parcus pro laude cruoris  
Et semper fame sitiens, obscura sedendo  
Tempora agit, mutum voluens inglorius æuum.*

Quem ad modum *sonans* ac *sonorum* vsurpatur pro celebri, vt *sonans Delos*, quia nobilis erat oraculo Delphico cc); *Phocis sonora*, hoc est, celebris dd); *vallis sonora*, id est, multis fabulis illustris ee): ita *mutum* etiam pro ignobili ponitur apud STATIVM:

*Hostia, nate, iaces, ceu mutus et e grege sanguis,*  
hoc est, ignobilis, plebeius ff). SIC IDEM AVCTOR furdum atque ignobile coniungit, vt eiusdem rei:

*Aequator*

- x) Vid. BROCKH. in *Propert.* p. m. 54. 55.  
y) CIC. *Or.* III. 7.  
z) QVINCTIL. *Instr. orat.* L. V. c. X. n. 119.  
aa) PROPERTIVS III. eleg. I. 104.  
bb) L. III. 575 (qq.  
cc) STATIVS *Theb.* V. 55.  
dd) IDEM L. XI. 281.  
ee) IDEM *Achill.* I. 223.  
ff) IDEM *Theb.* XI. 284.



*Aequatos caelo, surdum atque ignobile, muros  
Firmat opus gg).*

Sic etiam PLINIVS *surdas herbas* vocat, atque *ignobiles* hh), quarum nomina ignota sunt. Ita SILIVS quoque *surdum nomen* pro obscuro et incelebri posuit ii). Et quid, quaeso, *vitam silentio transire*, est aliud, quam memoriam sui nullam relinquere kk)?

Nullum ergo dubium relinquatur, quin *mutae artes* a VIRGILIO dictae sint illae, quae parum aptae sunt ad gloriam quaerendam.

## §. XII.

VERVM haec haec hactenus. Reliquum est, ut oratoribus nostris auditores amicos et benevolos aduocemus. Susceperunt *providentiam diuinam*, quo argumento nec nobilior aliud, nec gymnasio nostro, nec temporibus, quibus viuimus, adcommo-  
datius magisque necessarium est, versibus germanicis praedicandam. Itaque

DIETERICVS AVGVSTVS ROTTH, HALLENSIS,  
*providentiam diuinam generatim extollet.*

Qui quem ad modum in scholis nostris theologicis, philosophicis, historicis, geographicis, oratoriis, graecis ac latinis litteris, auditorem se diligentem praebuit: ita etiam linguae Hebraicae Chaldaicae et Syriacae quoque adiciere pulcrum duxit ac gloriosum. Recitabit is versus longiusculos suo Marte concinnatos.

IOANNES GOTTLOB DREWES, HALLENSIS,  
*laudabit dei curam in pios exercitum, oda germanica.*

IOANNES DAVID ADLVNG, ERFORDIENSIS,  
*iuuenis et optimis litteris et cultissimis moribus, bona mala et plura et  
potiora*

gg) IDEM *Theb.* III. 359.

hh) *Fliz. nar.* L. XXII. c. II.

ii) L. VIII. 248.

kk) SALLVST. *Casil.* I. 1, ubi vid. CORTIVS. Conf. etiam c. II. 8.



*potiora esse demonstraturus, vindicabit prouidentiam diuinam ab aduersariorum calumniis, carmine germanico.*

IOANNES CHRISTIANVS GEBHARDT, NEVENDORFIO-  
COTHENENSIS,

*diuinum redemptionis beneficium mala omnia abunde pensare*  
docebit, versibus german.

Adeste igitur crastino die horis a meridiē consuetis, recitationibus nostris frequentes ac beneuoli, fauete linguis, et dei prouidentiam nobiscum collaudate.

---

P. P. A. D. 1771 Calend. Septembr. c17 17 ccl1.





N. 24. 78 L 1637 [50]

IOANNIS MICHAELIS GASSERI

GYMNASII HALL. RECTORIS

PROGRAMMA  
DE  
ARTIBVS MVTIS

AD

ILLVSTRANDVM VIRGILII LOCVM

AEN. XII 397

QVO

NATALEM GYMNASII  
CLXXXVI

CELEBRANDVM

INDICIT.

---

HALLAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS CHRISTOPHORI PETRI FRANCKII, ACAD. TYPOGR.  
c1o 1o ccll.

X 304 7781

